



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

S. Odilo Abbas. Cura defunctorum

[Köln], [1654]

S. Silverius Papa M. Perpressio ærumnarum Dei causâ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71907](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71907)



S. SILVERIUS PAPA M.

Perpessio ærumnarum Dei causâ.

Deus, qui B. SILVERIVM Papam, pro
tuendo S. Ecclesiæ contra hæreticos
judicio, multa perpessum, glorię Mar-
tyrum tuorum coæquasti; da nobis ex-
emplo ejus, nullas pro te ærumnas
formidare, & cum ipso coronari.

Orapro injuste vexatis,

✠

Cum S. Agapetus Papa, 17 Aprilis 536, Constantinopoli obiisset, ob non restitutum hæreticum Anthimum multa passus à Justiniano & Theodora Augustis; festinaverunt quidem hi, tractum in vota sua Vigilium ejus Diaconum, Romam mittere ut Pontifex fieret: sed prævertit Rex Gothorum Theodahatus, & Clero Romano persuasit ut eligerent SILVERIVM Subdiaconum, natione Campanum: isque 8 Junii ordinatus Episcopus fuit. Non ideo tamen spem restituendi Anthimi deposuit Theodora: sed obfirmatum in tuendo sacre Synodi judicio SILVERIVM reperiens, Belizario Duci scripsit, ut quocumq; modo illum ex Apostolico throno deponeret. Concinnatâ ergo contra eum calumnia est, quasi obsidentibus tunc iterum Urbem Gothis tradere eam voluisset. Cumque sedisset an. 1 men. 5, dies 11, Pontificalibus exutum detrussit in monasterium 16 Novembris. Soluta deinde obsidione evehctus in Lyciam, ac deniq; in Pontiam insulam deportatus, ærumnis ibi confectus obiit; & miraculis clarus, meruit Martyr coli.

Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum celorum. Matt. 5.